

622.

1277 d. . . Jan.

Sundby.

BENGT, Konungens Broder och Canzler, skänker en gård i Lungs socken, och andra inkomster till inrättande af ett nytt Kanonikat i Strengnäs.

A. 3. g. 1: 2.

Wniuersis christi fidelibus tam posteris quam modernis ad quos littere presentes devenerint. Benedictus frater & cancellarius jllustris regis swedorum. salutem jn omnium saluatore. Nouerit tam presens etas quam futura posteritas. quod curiam nostram norer sitam in parochia de lung cum colonis siluis piscariis pratis & omnibus aliis pertinenciis ad quandam canoniam de nouo faciendam ecclesie strengenensi assignamus & conferimus jure perpetuo possidendam. Insuper protestamur & obligamus nos eidem ecclesie assignaturos tot colonos qui ad corpus ipsius canonie viginti thynones anone persoluent annuatim cum totidem denariis vsualis monete qui cum tot thynonibus reddi solent secundum terre consuetudinem approbatam. quos eidem ecclesie super hoc habita deliberacione assignabimus & specificabimus infra pascha. Ne autem donacio tam rite facta lapsu temporis posset jn dubium reuocari. ad perpetuam rei memoriam litteras presentes sigillo nostro & reuerendorum patrum domini. A. episcopi strengenensis. & domini. K. episcopi aboensis fecimus sigillari. vt omnis dubietatis & negligencie materia subtrahatur tam posteris quam modernis. Datum Sundby Anno domini M°.CC°.LXX°.VII. . . . kal. februarij.

På fränsidan: De adquisicione curie norer jn lung. littere prebende nora.

Sigillen: N:o 1, det samma som under. N:o 621, N:o 3 andeligt, begge skadade; N:o 2 bortfallet.

623.

1277 d. 21 Febr.

Bisk. HENRICKS i Linköping förläning af Biskopsbordets hemman Gullathorp och Kusathorp till Hustru Hermod från Hesleby på lifstiden.

B. 3: 44.

H. dei gracia lincopensis episcopus vniuersis ad quos littere presentes peruenerint salutem in domino. Notificamus vobis tenore presentis quod nos hermodi villice nostre de hesleby ob remuneracionem laboris sui omnia bona mobilia & immobilia in gullathorp. & cusathorp nos & ecclesiam nostram iusto empconis titulo contingencia quoadusque vixerit. hoc saluo quod post mortem suam ad nos & ecclesiam nostram integre reuertantur. duximus concedenda. Ob euidentiam premissorum sigillum nostrum presentibus appendentes. Datum. Anno ab incarnatione dominj MCCLXX septimo nono kal. marcij.